



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...


Anglia

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1671**

Capvt XIV. Societas Iesu nondum Angliam ingressa, & iam in Anglia non vno carcere conclusa. Dotes Thomæ Pondo; conuersio; vita poenitentis; opera fructuosa; carcer Christi causa; victoria, de ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10773**



*Societas Iesu nondum Angliam ingressa, & iam in Anglia non uno carcere conclusa. Dotes Thoma Pondo; conuersio; vita pœnitentis; opera fructuosa; carcer Christi causa; victoria, de Pseudoepiscopo.*

## CAPVT XIV.

**R**ÆROGATIVO iure sanè pretioso Societati IESU Deus hospitium mutatus in Anglia fuerat carcerem Londinensem & Vvisbicensem; possessionem eius nostro nomine iniri, pro fide Catholica carcere tenebantur viti egregiæ sanctitatis, qui nostrotum permoti fama de quibus audierant, aliqui ne viderant quidem, expetièrè Societatis institutum; atque vt par erat ipsomet in carcere in eam sunt adscripti. Sic ominatissimo præfagio, futurum Societas illic nata in carcere, in catenis cresceret; & quæstionum tormentis exercita, demum idonea euaderet, quæ curru publicè capitali ad furcam veheretur, vbi coram innumerabili spectatorum, & audientium populo sacrosanctæ Catholicæ fidei diuinam veritatem, & voce libera prædicaret, & toto sanguine prodiga confirmaret. Nullum opinor vsquam Collegium quantævis doctrinæ & gloriæ, huic nostro exiguo non intuidit, quod in carcere Londinensi, nostrorum haud plus septem Anglorum constabat numerus, cum P. Edmundo Campiano, in procinctu omnes ad ponendam pro fide Catholica vitam, quod plerisque illorum feliciter obtigit. Nunc est de singulis suo cuiusque ordine narrandum.

Primum nobis producit ætatis ratio annorum sex & septuaginta, quàm mira operum & perpeffionum contexit varietas, Thomam Pondo Confessorem Christi fortissimum.

Hic Belmontij natus est, milliariibus Vvincestro duodecim, die mensis Maij vnde tricesimo anno xui post sesquimillesimum tricesimonono, parentibus Guillelmo Pondo, & Anna Vvrioteslea sorore Comitissæ Southamptoniensis. Non est facile dictu pluribus animi an corporis dotibus natura puerum cumulasset, formosior quidem in omni ætatis, & virium gradu quàm aut lubrico adolescentiæ, aut eius saluti expediret; cui postmodum grandis, decora canitiæ venerandus, quam ornabat proceritas corporis, membris omnibus eximie apta, & agilis; quæ de illo hic à me referri debuisse, sequens narratio docebit. Locupletabant mentem placendi

præsidia quæcumque possunt nobilem singulariter commendare. Nihil eò magnificentius, vrbanius, comptius, ingeniosius; cum amplitudine pectoris, & intrepido robore.

Politioribus literis excultus est in Collegio Deiparæ Vincestrensi, ad annum ætatis vicesimum tertium. Vbi sui cuiusdam gratulatorij Poëmaticis recitatione Reginam exceperit, tulitque ex eo non vulgarem Latini Poëtae approbationem. Inde Londinum ad sapientiam, iura Regni, & leges cogniturus venit, vnde paulo post patre vita functo, sui que iam arbitrè scholam aula mutauit, theatro suis mirè appposito partibus, vbi Elizabetha vitæ hilaritatibus liberaliter indulgens (non dico vt quidam, licentiùs, quàm deceret à Virgine fieri; latum gratiis, & laudibus pandebat campum, quas natura & ars inseruerant Thomæ Pondo eximias dotes, isque apud Reginam vt veniret in dies acceptior, eas Patrimonij diuitis sumptuosa profusione explicabat; animi negotium inter hæc tam nihili carans vt mente Catholicus, cœtera Reginæ haberi vellet sectarius. Iuuenem tot abruptis in vltima præcipitantem exitia, diuinæ miserationis admirabilitas in viam reduxit, & per eadem ipsa quibus peribat abrupta, in tuto positum, ad fastigium euexit excellentissimæ virtutis.

Solebant illic dies Christo nascenti, & Epiphaniæ interiecti, chorearum, musices, ludorum, & Comœdiarum apparatu incredibili celebrari; concurrebat flos Londinensis, & circumvicinæ iuuentutis spectaturus, aut spectaculo futurus. Instruendi festi, & sumptuum cura penes illum erat, cui præ cœteris demandare illam Reginæ placuisset. Incidit in Thomam eo anno 1569. sibi que plurimum gratulatus est honorem iuuenis, quod & in sumptu faciendo videri gaudebat splendidus; quod arte saltandi, & elegantia corporis, parem aula habebat neminem. Eius specimen artis, & magisterium editurus, saltationis elegit formam, quæ in sustentando pedis vnus extremis articulis, & circumagendo simul in gyros corpore desinit, durante per tot vertigines puncto nixas, agilitate roboris, & capitis firmitate. Saltauit Thomas tam eleganter, & doctè mimum versatilem vt ei tota acclamaret, & adplauderet scena; manum eius Regina prehenderet nuda manu, saltationis laudatæ præmio valdè singulari; galerum Comitis Leicestrensis, operiendo sudanti mitteret, ac post interludia quædam inuitaret ad saltationem iterandam. At hic arrecto in pedis articulos corpore, dum se rotat, agensque in gyros multiplices vexat, obnubilante oculos vertigo capitis, humi toto corpore sternitur; exploditurque haud minori sannarum, & ludibrij sonitu, quàm quo illi ante adplausum fuerat: Regina indignans dedecoratam ab eo festi lætitiã, insultat iacenti, & surge, bos; inquit, crudeli sarcasmo risus integrat spectatorum, cum ignominia iacentis. Assurgit in genu cernuus, & venerabundus se illi inclinat; illud quidem tacitè apud se mussitans, sic tamen. Vt perciperetur à circumadstantibus *sic transit gloria mundi*. Exin aulam, & vrbem, & publicum exosus, Belmonfio suo se condit solus, vbi suo ex casu, eiusque mercede; præmium reputans seruitutis in mundi obsequio

obsequio collocatæ; vitorum stultissimum, iſe incuſat, & ſtuliſſimorum miſerrimum; haud tamen (quæ Dei eſt gratia) illorum qui tunc ſolùm aperiunt oculos, cùm cadunt in ſepulchrum, nunquam ſurrecturi. Poſt ex ſe ipſe requiritans quântò tunc ſecum beatiùs ageretur, ſi Deo ſacraſſet, & rationibus externis, quæ Regiſe oculis in Dei contemptum, & Religionis ſacroſanctæ tùm egerat, tùm paſſus fuerat, atque profuderat, magnam ſui concepit miſerationem, & horrorem; & ex reuocandi præteriti deſperatione, tam ardens, & conſtans emendandi futuri propoſitum, vt per annos exinde quatuor ſupra quadraginta, alius omninò ab eo qui fuerat vixerit (erat verò tunc annorum triginta) & quotidianis virtutum acceſſionibus vitam cumulauit.

Reſtitutus Eccleſiæ, ac Deo, paternæ domus habitationem, propinqui Catholici mutauit domo, vbi ſolitariam eremum, aſperitate vitæ diu exercuit. Meditationi diuinorum media nocte horam dabat, ſequebatur lectio piorum librorum ad vſque auroram, inde tres & quatuor horæ, reſumptæ contemplationis; diei reliquum, in ſanctorum Patrum ſtudio verſabatur, quo dùm vixit oblectabatur mirificè, hæc & ieiunandi aſſiduitatem, & ſomni duritiem, imminuto, vt ſolent, cerebro, aut ſuperſtitioſo attribuebant hæretici, familiares imprudentem in ſeipſum interpretabantur ſauitiam, increpabantque ſui velut homicidam. At iſ propria quadam ſua deliberati animi firmitate, vtriſque ſuperior nihil de ſuſcepto vitæ pondere detrahens, iſtis quidem exemplo, illis euasiſt admirationi.

Biennio paulò plus, hic vitæ ordo tenuerat, cum viſa eſt animi, quam vnã gerebat ſui cura, in plurium vtilitates diuidenda; noctem ſibi ſeruauit, & conſuetas afflictationes; diem aliis dedit; iuuentuti præſertim Catholici quam domi cogebat, nec maiori vnquam triumphabat gaudio quàm vbi eorum ſedecim aut pluribus ſociis ſacrificio Diuino, & epulo aderat. Nec hæreticorum vel in ſe priuatim odium, vel conſcita Orthodoxis damna, illum ab iis iuuandis auertebant; in quo peculiari ſua ad perſuadendum faciendia, cum ſacri ſpiritus ardore coniuncta valuit plurimum; multos fulcit labantes, erexit lapſos, vacillantes firmavit. Ad hoc nulli parcebat largitati cuius quidem eſſet liberum nactus arbitrium; eſi enim hæres, & potens opibus, ac ex matris adhuc pendeat nutu. Libenter ſibi quod daret pauperibus ſubtrahebat, inueſtigabatque diligenter quos mali omnis conſiliaria egeſtas agebat in fidei diſcrimen vt quantocumque pretio ſeruaret animas, Chriſti ſanguine redemptas. Confessoribus Chriſti qui carcerem ſumma in egeſtate, & miſeriis lamentabilibus ſtipabant, ab nobilibus amicis ſtipem curabat, & largam, & crebram. Deque huiusmodi beneficiæ præclaræ ſtudio librum ſcripſit ad Henricum Comitem Souhantonienſem cognatum ſuum, & inſignem illic rei Catholici patronum.

Hiſ Pondo tametiſi aliis eſſet admirationi; ſibi parum ipſe ſatisfaciebat; nec illam explebat ſeruandarum ſitim animarum qua perpetuo vtebatur.

Oprabat personam nobilis ponere, quod ea mundani aliquid oleret; & initiari sacris ordinibus ut totus iam Dei & proximi esset, quod ille in septimum conuersionis suæ annum uouit, ratus ad rem diuinam, & sacrum altare, se minus purè sanctèque accessurum, nisi vitæ maculas antea, pœnitentia septenni, & aspera eluisset. Hæc sollicitè cogitanti, uenere in manus ab India nostrorum litteræ, de expeditionibus illorum in barbaros, ingenti labore, fructuque obitis; statimque legenti, Societatis desiderium sic exarsit ut se illi iam tum optaret in filium, & seruum, ignoræ licet mancipare, negans posse ignotam haberi, quam postremo ab orbe, tam clara opera illustrarent. Ut tamen de illa certius, distinctiusque cognosceret; contigit Roma in Angliam redire Sacerdotem quendam Toleti olim Discipulum, Henricum Alvarum ex eo disertè singula cum audisset ad Societatis institutum spectantia, nihil animaduertit quod susceptæ virtutis, pietatisque genio non magnopere conueniret; ac nisi matre superstite prohiberetur bona sua largiti in pauperes, & suo discessu forent in fiscum redigenda; Romam illico nauim ad Probationis domum erat conscensurus inter hæc Deus familiaritatem illi obtulit iuuenis, haud scio an iisdem, eademque ex causa desideriis inflammati. Hoc scio non diu post in Orientem nauigasse, & in Goæ confiniis per annos quadraginta Christianitatem collegisse, & excoluisse pietate, ac numero maxime florentem. Huic Thomæ Stephani nomen fuit; ortus natalium honestus, nec Pondo ignotus quare domi excepit sodalem, ac tantum non parem; foris Pondo agebat Dominum, Thomas Stephani seruum; ad eludendas hæreticorum nares, indagandis & exsugendis Catholicis insidiantium. Exacto unâ contubernio bienni, tenere se ultra Pondo non potuit, sed quocumque in posterum casus bona illa ferret quæ moras necdebant Societatem anhelanti, statuit conflata ex venditis quæ ad manum erant pecunia, suo cum Stephano, Angliam sese eripere, secumque iuuenum lectam manum Romanam perducere quos Societati pepererat. Quin & alios quam posset plurimos, eiusdem ingenij ac mentis, è Gallia, & Belgio quæsitos iis adiungere ubi portum Irium attigisset, quos suo, & ductu, & sumptu, Societatis candidatos, eius Præposito sisteret: in procinctu ad iter virum sanctum miseratio subiit hospitis eiusdemque amici, quem in hæresis luto defixum relinquebat: ergo aliquot noctes, nihil non egit, ac mouit ut in sanam mentem eum adduceret; verum perfidia hominis contentiones eius omnes elidente, decreuit postridie ut primum lucefceret, prono Tami si ad mare descendere. At enim Deo & de pertinacia hospitis, & de ipso, longè aliter visum quam cogitauerat. Hospitem diuina bonitas, Catholicæ subdidit ueritati; eadem illum in annos triginta arumnosissimo carceri reseruauit.

Nocte si quidem discessum præcedente, en adest familia Episcopi Loninensis, inuaditque Pondo nihil minus cogitantem, haud tamen ore vel animo conturbat, nec minori uultus & mentis sereno ducturos in carcerem excipit, quam foret nautas ad vela uocantes secuturus. Mortem  
nihilominus

nihilominus præsentem cernebat, séque certò damnandum si vel scripta solùm deprehenderentur quæ aduersus hæreticos & Elizabethæ in Ecclesiam Regnum ferebat in sarcinis. Ad hæc quadriennem Societatis expectationem, in ipso quo erat ineunda tristi articulo sibi videbat interire; quod quàm dolenter, & acerbè ferret, ex nuntiis è carcere missis, ubi duos iam annos quæstionibus variis tortus, & debilitatus, contestabarur Præposito Generali cruciatibus illis dolere se leuiùs, quàm, Societatis iactura, tam impatienter.

Sexennio integro suspitæ. Cæterum capto concessa est cœlitùs, conuersio hospitis, in qua nuper inanem sumpserat operam; quod nulla ex eo vis argumentorum euicerat; generositatis Christianæ obseruata in Pondo argumenta expresserant, vt cum vxore omnique familia Ecclesiæ sanctæ conciliaretur.

Iam Pondo primum leuiter suspectus; post nouis inditiis, & criminationibus in carcerem actus impressiones blandas vrbanitatum fallacium diu sustinuit, pollicebatur illi Episcopus plenam libertatem, si ad publici satisfactionem in hæreticorum concione vel semel appareret; ille, vt erat mirè Comis, & solers, verba verbis humanissimè rependit. Ad rem; nisi offenso, inquit, Deo libertatem non possum recipere; ante se mihi animus abrumpat à corpore, quàm corpus à carcere quæ disertis responsi magnanima vox, in sextum mensem eius carcerem protraxit, post quem precibus Comitum Southamptoniensis donatus est, qui se vadem pro illo constituit, spondens fore vt in Anglia maneret; intra dies viginti vocatus se sisteret; paternis se laribus extra vrbem teneret, nec se negotiis immisceret ad Religionem spectantibus. Præstitit omnia bona fide Pondo, nisi quod illuminandis hæreticis, & fluctuantibus firmandis nunquam abstinuit, in quo nobilis meriti socios habuit Georgium Cottorem, Henricum Scelleum, & alios, quorum palatia erant Belmontio vicina.

Hoc menses iam sedecim perfunctum labore, capi iubet Hornus Lincolniensis, & cum multis sodalium in custodiam dari. Ante tamen quàm sibi venirent in conspectum præmonendos curauit quò ipsi liberius in examine loquerentur, eo causæ Romanæ ac suæ ipsorum, grauiùs nocituros. Hinc illum vt sedit oratione malè concinnata, falsa, sacrilega, fastu superbo, conuitiis, & impiis tumida debacchantem, taciti cum audissent, statim remittit in carcerem. Sparsisque latè præconiis, sua vulgat auctoritate, præsentia, rationibus conuictos, & confusos obmutuisse, & aulos hircere. Verum postridie sua hominem acriter momordi actantia, iussis enim adesse ad tribunal, & proditoris Episcopi priuanam edoctis fallaciam, vix dicere cœperat, cum illi mox Pondo, verba media truncare; falsi arguere, locum ex Vincentio Lirinensi contra Rom. Ecclesiam perpetem detortum vera expositione defendere. Complebat autem conferta multitudo orthodoxorum, & Protestantium, spectata a commissionem præclari certaminis, & nobiles reos ludibrio subiectos ho-

muli, infra mediocres habiti, quales erant tunc ferè omnes Angliæ Præfules; & quod peius est vita maculosi, quales eos depingunt Puritani scriptores, & Brunistæ.

Hornus igitur in vado hærens responsionis quâ carebat, & illo in theatro, pudorem ignorantia non ferens, quæstione omiſſa, & velut oëstro actus vindicandæ quam sustinebat dignitatis, extra se abripi, & conuitorum tempestate Pondo interea tranquillum, & silentem fulminare, quibus hic nihilo commotior, eandem illi difficultatem reponere, solutionem eius placidè rogare; idem alij exemplo, animosiores reposcere. Plaudere sibi tacitè Catholici; aduersarij suo Episcopo iam non tacitè indignari: at ille arreptij in morem multis dæmonibus possessi, truncas voces illorum dentibus mandere. Nec itum ulterius in præsens, doctus suo malo Episcopus bimestri carcere maceratos dimisit. Pondo tradidit Iudicibus Laicis, à quibus Londinum transmissus est, ad dicendam causam in supremo Regni tribunali.



*Pondo in carcere excipitur in Societatem Thomam Stephani primus Anglorum ex nostris in Indias missus, annos quadraginta sanctè illas excolit. Admotæ ad euertendū Pondo machina. Arumnae carceris Vvisbicensis.*

## CAPVT XV.

**D**E custodiis variis quas triuit Pondo, & continuato per annos triginta martyrio nonnulla inferiùs; nunc summam votorum impetraturus à Societatis Præposito, Romam destinavit Thomam Stephani quem ante diximus, anno 1575. petens supplex & rogans quod tam pridem, & tantis desiderijs ardebat in filiorum adscribi numerum; nec repulsam mereri quod longinquus ipsique nec visus nec notus peteret cum à Deo ad Societatem nec visam antea nec notam nisi per Stephanum vrgeretur. Nam si libero daretur Anglia exire, conspectum nisi illic ad illius pedes vt vel infimum exoraret inter nostros locum, tanetsi primum amore in filiis; obedientia in seruis nunquam non sibi esset alterurus; ac si tantum sibi obtingeret boni, vt (quod prope abesse videbatur) pro re Catholica mortem oppeteret, æquum esse vt moriens eius esset, cuius totus in vita fuerat. Legatione hæc Thomam perfunctum fideliter, absit vt dubitem, quod postulaue-

rat